UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Duo Worthingtoni. n. 30.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

Visual Library

ſti exemplo condonarent potius ſi quid dictum immoderatius factumúe eſſet; vicitq; viri Sanctitas contentione in amplexus cõmutata. Reddendæ verò mercedis horum duo quæ acciderunt incõmoda videntur acceleraſſe. Abierat domo cũ duce vię ad ſeptem vel octo milliaria noſtratia, perſuaſeratq; ſibi quòd ad reuertendũ non egeret ductore; itaq; ſolus cùm eſſet, vel aberrauit, vel orandi ſtudio noctem duxit in campis: quæſitus matutino tempore repertus eſt non longè ab ædibus ad quas pridiè peruenerat: famulo dolenter ferenti quod acciderat, reſpondit nullã ſibi noctem iucundiorem vnquam ſuauioremúe contigiſſe. Non multo deinde poſt tempore cùm arma Catholicis adimerentur, vt remoueretur ipſe è conſpectu perquirentiũ conceſſit in vicinum hortũ, ſedentemq; in pergula ingẽs frigiduſq; oppreſſit imber, quo frigore obriguiſſe dicitur, & paucis deinde diebus vitã cum meliore cõmutaſſe. In poſtrema hac ægritudine præter cæteras virtutes quas frequẽtibus aſpirationibus exercebat, oſtendebatq; ſibi eſſe familiares, ſępe ſe de ingratitudine erga Deũ, ſæpe de exigua ad perfectionẽ obtinendã cõtentione accuſabat. Tam magna autẽ Chriſtum Dñm in Sacroſancta Euchariſtia veneratione colebat, vt viaticũ niſi ieiunus non reciperet, & humi proſtratus in genua, identidem exclamans *Maior* reuerentia *Maior* reuerentia Ad quinq; cochlearia iuſculi quæ fuere victus vltima hoc vſus eſt condimento, vt primũ ſumeret in honorẽ Paſſionis Chriſti Dñi: 2^{m}. in memoriã dolorum $B^{mę}$ Virginis: 3^{m}. offerret Angelis Tutelaribus: 4^{m} omnibus Sanctis: quintum in reuerentiã cultumq; quinq; Chriſti vulnerũ Tum poſtulans tradi ſibi Litanias $B^{mę}$ Virginis quas ſolebat viuens recitare pro cõſequenda vita ſancta & fœlice morte, has tenẽs manu, & prout vocibus propè intermortuis poterat pronuncians, animã ſuauiter efflauit 10. Feb. & Dominico die quo ſeptimanę die vt natus ita frequenter ſe dixerat moriturũ, recipiẽdus haud dubiè à Virgine, filioq; miſericorditer remuneraturo pręſentandus.

XXX. Sub id etiã tẽpus adſcripti ſunt in Soc. perutiles operarij duo *Worthingtoni*, *Ioannes* & *Laurentius* fratres, nati Blenſcoyæ in prouincia Lancaſtrenſi. *Ioannes* puer duodẽnis dũ transfretare pararet detectus multã moleſtiã paſſus eſt à Pſeudo Epiſc. & Præfectis illius regionis, qui modò blanditijs, modò minis & terroribus tenerũ pueri animũ tentarunt abducere à veris ad nuper fictos adulteratoſq; ritus: admiranda in tam tenella ætate conſtantia, & ſupra ætatem reſponſa appoſita furorẽ hæreticis, Catholicis addebant firmitatem. Dolo tandem bono elapſus è manibus Rhemos primùm cum fratribus duobus & patruo, tum Augium profectus eſt ad *Perſoniũ*, ipſumq; ſecutus in Hiſpanias & vſq; Romã iam Sacerdos Societati adiunctus eſt 27 Octobris Anni 98. Poſt annos probationis, & vnũ alterumúe in Collegio Romano, miſſus Valiſoletum Miniſtri functus eſt munere in Seminario, quo tempore quanquam turbatis Alumnorum animis mederi non poterat, tantã tamen ſuauitatem cum ſeueritate miſcebat, vt quidquid faceret in optimã partem intepretarentur. Intemperie aëris & domeſticis moleſtijs fractus anno quarto ſupra ſexcenteſimum migrauit in Angliam. Vt Londinum tetigit confeſtim miſſus ad pauperem homuncionẽ quem metu lucelliq; cupiditate ad hereticorũ conuentus per tractum mors imminens reuocabat, confeſſionis & vnctionis Sacramentis ægritudine pulſâ erexit, & ſuo donauit

1602.

Duo worthingtoni.

Ioannes.

Vide in concertatione prolixã hiſtoriam.

1602. veſtitu. Primus fuit è Societate qui in Prouincia Lancaſtrenſi fixit ſedem: labore & induſtriâ, facultate etiam qua pollebat concionandi, non in illa tantum ſed vicinis regionibus plurimos ſibi deuinciens, aperuit campú ampliſſimum ſui Inſtituti hominibus. Non facilè ad Sacramenta admittebat redeuntes ab Hæreſi, ſed iterum iterumque iubebat redire ab ſe edocendos. Quos ad Spirituales commentationes ex Sancti Ignatij methodo idoneos quidem reperiſſet, ſed non facilè inducendos in eam mentem vt ſe ad dies tam multos colligerent (vel quoniam alicunde alienum ab eo genere ſolitudinis animum hauſiſſent, vel quia negotijs obruebantur) inuitatis ad priuatum colloquium explicabat ex ordine die vno fundamentum ſuper quo vita omnis Chriſtiana ſuperſtruenda eſt, alio die conſiderationes de peccatis, & de ijs quæ homini accidunt nouiſſima, diſponebatque ad vitæ delicta magno cum doloris ſenſu in Sacramento detegenda, & vitam peragendam dignam Catholico in æſtu perſecutionis laborante. Erecto in ea regione Collegio B. Aloyſij ſub Vice-Prouinciæ conſtitutionem datus eſt Rector, perſeuerauitque in eo munere annis viginti, inſigni cum incremento ſuorum apud omnes meritorum, & Catholicorum vtilitate. Miſſus Procurator Romam anno 32. debitum prudentiæ morumque ſuauitati teſtimonium ex vrbe & itinere retulit omnium approbatione confirmatum. Vixit ad ea tempora quibus omnia ſub Carolo rege ſuſdeque voluebãtur, annis ſeptuaginta grauis, profeſſus quatuor votorum ab anno huius ſeculi decimo tertio: in ea tamen ætate ac tempeſtate tam alacris, tam erectus vt & ardore animi Tyrones, & prudentia vinceret veteranos: quæ vtraque videre erit ex Epiſtola quam de ſua captiuitate ſcripſit ad eius temporis Superiorem in hanc ſententiam.

Epiſtola de Ioiſworthingtoni ſua captiuitate.

XXXI. Vehemens deſiderium, ac preces quibus me vrget Reuerentia veſtra ad illa conſcribenda qui contigerunt in longa captiuitate mea & ſat moleſto carcere, vim habent mandati cui libens obedio, licet plures difficultates occurrant ac præſertim duæ. Prima, quod videam itinera ita paſſim impedita, ipſaq; in quibus viuimus tempora tot ſuſpicionibus obnoxia, vt nihil poſſit cõmitti litteris ſic explicatum ac plenum vt vel amicis ſatis faciat, vel careat incommodo ab inimicis: Altera eſt quòd in totius regni perturbatione & communi omnium Sacerdotum Catholicorumq; calamitate, mea nihil videatur captiuitas habere tam ſingulare vt plurium expectationem expleat quantauis eius narratio. Cæterum quoniam ſilere non licet, hæc ſunt ex multis quæ dici poſſent.

Nondum captiuus eram, nec tamen ſine carcere multis menſibus antequam ven rem in poteſtatem hoſtis: nam vbi primùm cæpit bellum exardeſcere, domus quam habitabam (odio Religionis) deſtinata iam erat ab hæreticis ad prædam: noctu ſaxis armati petebãt fores, lacerabant feneſtras, terrebant domeſticos frequenti ſclopetorum exploſione; eò iam proceſſerant inſolentię, vt amici actũ de nobis conclamantes monerent ſtatutũ eſſe de domo funditus ſubruẽda. Habebã latibulũ in quo multis annis fida mihi ſemper ſtatio fuerat & tuta ab perquiſitorũ inſultibus, at maior iã hoſtiũ furor & impietas locũ hunc faciebat minus ſecurum. Et adfuit tandẽ equitũ turma; vi, verbiſq; procacibus poſtulãt ingreſſum